



Series Alphabetica Dissertatio  
num. hujus voluminis.

<b>A.</b>	
De Aequitate.	.2.
Asylorum jure.	.12.
Alea.	.23.
Ad L. Rhod. de jactu.	.36.

<b>B.</b>	
Bürgerrecht.	6.

<b>C.</b>	
De Communi Doctorum opinioe.	1.
Civitatis jure.	.6.
Calculi Errore.	.16.
Constituto Possessorio.	.25.
Contractu Mobadria.	.26.
Conditione Indebiti.	.27.
Conductore expellendo.	.29.
Culpa.	.32. 33.
Concessione Salinarum.	37.
Contractuum prestationibus.	32b.

<b>D.</b>	
De Dd. communi opinione.	1.
Damnis.	31.

<b>E.</b>	
De Errore Calculi	.16.
Expreso.	.21.
Expellendo conductore	29.

<b>F.</b>	
De Fictiōibus.	.18. 19.
Foeminea Tutela.	.13.
Furiosorum jure.	10.

<b>I. J.</b>	
De jure Virorum.	3.
— Peregrinorum.	4.
— miserabilium.	5.
— civitatis.	6.
— vicinitatis.	7.
— senectutis.	8.
— militum.	9.
— Furiosorum.	10.
— Possidumorum.	11.
— Asylorum.	12.
— Precarie.	36.
— Sepultura.	37.
Indebiti conditione.	27.
Interesse.	.13. 34.
Indeterminatis regressu.	35.
Jactu ad L. Rhodiam	36.

<b>L.</b>	
Ad L. Rhodiam de jactu.	36.



17.

Fortunante Vera Via Salutis Redemptore Meo!

DISPUTATIO ETHICA

De

SIMULATIONE,

Quam

Inclutæ Facultatis Philosophicæ consensu

Sub

Moderamine,

*VIRI præmodum Eximii, Clarissimi, Excellentissimiq;*

Dn. M. JACOBI THOMASII, P. L.

Cæs. nec non Practicæ Philosophiæ P. P. Celeberrimi, Col-  
leg. Min. Princip. Collegiati, Promotoris, Præceptoris atq;  
Fautoris sui ætatem suspicien-  
di &c.

*Publicæ disquisitioni exponit*

FRIDERICUS-VVILHELMUS SULZBER-  
GERUS Bonar. Art. & Philosophiæ Bac-  
calaureus.

Ad d. 18. Novembris H. L. Q. S.

---

LIPSIÆ,

E CHALCOGRAPHEO RITZSCHIANO,

ANNO M. DC. LIV.

*Thom. Jacobi*











A & Ω.

## ANTEPAGMENTUM.

**E**O vivimus seculò, ubi plenà sunt passim omnia simulatorum, qui è fallaciis toti, ut loquitur Comicus, consuti sunt & dolis, quorumq; vitam nihil aliud esse dixeris, quàm unum atqve perpetuum exemplum illius Regulæ:

*Disimula, simula, quoties occasio poscit.*

Atqve hi audent etiam suæ improbitati fucum quærere, & vitium summoperè detestandum speciosò Politicæ Prudentiæ titulò exornare: quemadmodum, Kekermannò teste, Carolus IX. Galliarum Rex totus ex fraudibus & fallaciis conflatus Princeps, quod feralis illa Parisiensis laniena abundè ostendit, suis dolis prætexuit symbolum antecessoris sui Ludovici: *Qui nescit dissimulare, nescit imperare.* Vid. Kekerm. lib. 1. syst. Polit. cap. 3. & Disp. XXIX. Curs. Philos. probl. 10. Verum enim verò, etsi quasdam simulationes homo prudens atqve probus, certis observatis circumstantiis, adhibere cum laude, aut certè sine dedecore potest: tamen hoc minimè vertendum est in excusationem earum quoq; fallaciarum, quibus hodiè circumveniri sæpè solent innocentissimi, contra fidem, contra honestatem, contra conscientiam. Quare ut eò meliùs dignosci possint veteratoricæ illæ simulationes, quarum mater est injustissima calliditas, à licitis simulationibus, quæ è verâ atqve irreprehensibili prudentiâ proficiscuntur, placuit nobis in præsentiarum brevem instituire discursum de simulatione honestâ atq; licitâ. Eum autem totum absolvemus VI. capitibus: consideraturi videlicet simulationis hujus, 1. ὀνοματολογίαν. 2. πραγματολογίαν. 3. αἰτιολογίαν. 4. μερισμολογίαν 5. ἐναντιολογίαν. 6. συγγενεαλογίαν. Deus voluntati clementer vires adspiret!

### CAPUT I.

#### De ὀνοματολογίᾳ.

TH. I. Accingimus igitur statim nos ad nomenclationem sive





ἑνοματολογία ut diximus simulationis, Philosophi dictō moniti,  
qvi lib. περὶ ἑρμηνείας cap. 1. ait: Voces esse notas rerum, quarum usū  
cognitō sæpe in cognitionem rei provehamur: Et damus 1. simula-  
tionis Etymologiam, 2. Homonymiam 3. Synonymiam.

Th. 2. Etymologiam quod concernit, facilis ea est & perspi-  
cua: derivatur enim simulatio à Verbō simulo, are, quod nihil ali-  
ud est, quàm fingere & pro vero falsum ostendere, sive præ se ferre  
quod non est, fictam alicujus rei similitudinem referre.

Th. 3. Græcis hoc est προσποιεῖσθαι, Germanis, sich stellen/  
quod Verbum etiam de Christō usurpatur Luc. 24, v. 29. Er stellen/  
sich als wolt er fördern gehen/καὶ αὐτὰς προσεποιεῖτο.

Th. 4. Circa homonymiam notandum, varias esse accēptiones  
hujus vocabuli. Primò enim simulatio alia est subjecti naturalis,  
ut quando parelius solem simulat; alia subjecti artificialis, quomo-  
do v. g. pictura simulat Cæsarem: quæ duo simulationum genera  
hic à nobis non attenduntur; alia deniq; simulatio subjecti voluntari-  
i, ut hominis, Dei, Angeli, nam & Deus atqve angeli simulasse le-  
guntur, Gen. 22, v. 1. Jud. 13, v. 16. Sed nobis de humanâ tantum si-  
mulatione differere deliberatum est.

Th. 5. Deinde hanc ipsam simulationem humanam duplicem  
esse deprehendimus: ποιητικὴν & πραγμικὴν distinctè appellare  
liceat.

Th. 6. Ποιητικὴν voco, qualis vērsum bestias exercetur, Quoni-  
am enim & bestiae habent potentiam cognoscentem, cui signatum a-  
liquod per signum repræsentari potest, adeo qve beneficio phantasiae  
signata certa è signis certis elicere possunt, non dubium est, quin illæ  
quoqve certis simulationibus decipi ac falli ab homine queant.

Th. 7. Exempla hoc testantur. Sic aves æstivò tempore pan-  
nis ventilantibus, aut aliis terriculamentis ludificantur, ac decipiun-  
tur, ut timeant fruges involare, & messim nobis intercipere.  
Plura exempla peti possunt è libris qvi de aucupio, piscatione & ve-  
naturâ scripti sunt.

Th. 8. Admirandum proffus est, quod Camerarius Cent. 1.  
oper. Horar. succif. c. 25. ex Hieroglyphicis Pierii refert de Hanno-  
ae elephantō, quem Lusitaniæ Rex Emanuel Leoni X, Papæ mitten-  
dum



dum destinaverat. Is enim navim adscendere noluit, propterea quod magister suus ipsi persuasisset, abvehendum eum in loca sterilia, inamœna & barbara, ubi ludibriô contumeliisq; omnibus tanquam hosticæ terræ animal afficeretur: sed aperuit quidam Regi hujus belluæ magistri dolum, qui callidè id egerat, ne unà cum elephantô relinqueret suam, quam in Lusitaniâ habebat, amasiam cogeretur. Accersi ergo Rex hominem jubet, extrema interminatus, nisi triduo perficeret, ut Hanno ingrederetur navim. Hæc Regis severitate perterfactus magister discipulam belluam edocet, se malevolorum quorundam fraude subornatum hunc ipsi antea metum incussisse, longè autem secus rem habere, siquidem non ad immania & effera loca profecturi essent, sed ad urbem omnium deliciarum affluentem: ita in aliam sententiam Hanno inductus ultrò navim ingressus est.

TH. 9. Tales igitur sunt simulationes, quibus bestix tanquam mediis ad certas actiones ab hominè pro ejus arbitriô diriguntur. Quas fortassè non ineptè, sumptâ à potiori appellatione, venaticas nuncupabimus. Sed ne hæc quidem ad scopum nostrum faciunt, qui de simulationibus *περὶ τῶν ἀνθρώπων*, & talibus quidem, quæ ad hominem exercentur, solliciti sumus.

TH. 10. Hæc verò sunt vel licitæ vel illicitæ: nos de licitis tantum agemus. Esse autem quasdam simulationes licitas, suò probatur loco.

TH. 11. Jam licitæ quoque simulationis duo possunt cogitari genera. Uti enim mendacium licitum aliud est officiosum, aliud jocosum, quorum illud utilitatem, hoc delectationem nudam propositam habet: Ita & simulatio quædam licita utilitatis gratiâ, alia solius delectationis ergo, (quales sunt mimorum in ludis scenicis) institui potest. Nos quidem, sepositâ jocosâ simulatione, de utili tantum seu officiosâ acturi sumus.

TH. 12. Enimverò & hujus simulationis nomen dupliciter accipi potest, vel pro actu, vel pro habitu. Nos eam, uti in actu est, definiemus.

TH. 13. Juvat hæc & præcognoscere discrimen inter simulationem & dissimulationem. Tametsi enim frequentissimè inter se conjuncta sunt isthæc duo, realiter tamen sunt distincta, quia quandoque realiter sunt separata, hoc est, unum sine altero existit. Ut e.g. in taciturnitate



nitate simplici, quæ est mera dissimulatio absq; simulatione. Dissimulare enim est non edere signum veri; Simulare autem edere signum falsi.

TH. 14. Patet exinde hæc duo distingui, 1. *formâ*, quia simulatio est actus *positivus*: Dissimulatio verò actus *negativus* est, 2. *Objecto*, verum enim dissimulatur; falsum simulatur, juxta illud Grammaticorum: *simulamus falsa, dissimulamus vera*.

TH. 15. Sequitur synonymia. Synonymon simulationis nostræ statuere possumus *mendacium officiosum*. Etsi enim qui de mendaciò officiosò scripserunt, eam vocem longè angustius quàm nos vocem simulationis ut plurimum accepere, ut mox sumus declaraturi: tamen si hujus termini legitima fiat interpretatio, non videmus, cur mendacium officiosum pro synonymò simulationis haberi non possit.

TH. 16. Quemadmodum enim Ethici docent, ad veracitatem pertinere, veritatem non verbis solum, sed & gestibus, nutu atque aliis signis profiteri: Ita nihil prohibet, quò minus mendacium quoque aliis signis, quàm locutione proferri posse dicamus. Ut igitur quæ sit nostra sententia, rectè intelligatur, dicimus: mendacium officiosum licitum, si laxius sumatur, esse synonymum simulationis; Si verò pressius, ab eò differre duobus modis.

TH. 17. Et 1. quidem *materiâ*. Mendacium officiosum in verbis consistit tantum, simulatio verò in aliis etiam signis. 2. *Fine cui*. Mendacium enim officiosum ferè sic tantum usurpatum videas, ut sit id, quod in alterius salutem excogitatur, ut si ægrotanti poculum salubre, sed amarum porrigens, persvadeam, gustatui non ingratum fore; aut furioso gladium apud me depositum reposcente, fingam me eum perdidisse. At simulatio latius porrigitur, utpote, quàm tantum aliorum incolumitati, sed & propriæ consulere quis potest.

TH. 18. Sed quomodo quisque terminum quemcunque accipere velit, quoniam non est in nostrâ potestate: sufficiat nobis, qualemcunque edidisse nostræ sententiæ declarationem, quam tamen æquis iudicibus non absurdam visum iri, confidimus. Nunc ad *περσματολογία*.

CAPUT



CAPUT II.

De πραγματελογία.

Th. 1. Absolutâ simulationis definitionē nominati, ad realem accedimus, quæ totius operis summa veluti & caput est, test. Aristotele l. 1. Top. c. 4. Sic autem definire allubescit:

Simulatio est actio licita significans falsum ad hominem, utilitatis publicæ privatæve causâ, non tamen contra honestatem.

Th. 2. Genus est *actio licita*, ipsi cum omnibus omnium virtutum actionibus communis, atque sic statim differt à simulationibus illicitis.

Th. 3. Cætera autem verba differentiam complectuntur. Etenim per vocem *significans* differt simulatio à taciturnitate sive nudâ dissimulatione & occultatione veri. Per vocem *falsum* ab actibus veracitatis: *ad hominem*, à simulationibus, quas supra Th. 9. c. 1. venatorias nuncupavimus: *utilitatis causâ*, à mendaciis & simulationibus jocosis: *non tamen contra honestatem*, iterum ab illicitis simulationibus. Placuit enim hunc in modum locupletare definitionem nostram, majoris evidentix gratiâ.

Th. 4. Jam hæc singula paulò penitiùs inspiciemus. Genus simulationis nostræ fecimus *actionem licitam*. Ut enim species virtutum habitualiter consideratarum definiuntur per virtutem, quæ est habitus bonus & laudabilis, velut per genus proximum; Sic species quoque actionum virtuosarum definiendæ sunt per actionem licitam & laudabilem tanquam per genus proximum.

Th. 5. Monet hîc locus, ut breviter ostendamus, non omnem simulationem, ut quidam opinantur, illicitam esse, ac moraliter malam, sed oportere, ut talis evadat, certas adesse circumstantias.

Th. 6. Est autem in hanc rem firmissimum argumentum, quod ab ipsius Christi exemplo petitur, quem nullius unquam propriæ culpæ reum factum esse, indubiâ fide tenemus. Is autem in itinere Emaunticô Luc. 24. quem locum ab initiô tetigimus, clarissimè legitur simulâsse discessionem à discipulis, verbis ad eò expressis, ut omnem contortæ interpretationis violentiam, quæ ipsis adhibetur  
ab opi-



ab opinionis adversæ fautoribus, eludant. Tacemus alia, quæ in Scripturis occurrunt, exempla similia: ea enim explicare ad Theologos magis pertinet, in quorum segetem falcem nostram non immitteremus.

TH. 7. Deinde si mendacium officiosum strictè ita dictum licitum est, sequitur & simulationem quandam licere, quando quidem tale mendacium simulationis species est. Licitum autem esse mendacium officiosum adfirmant ac probant Meisnerus part. 1. Philos. Sobr. p. 494. seqq. Chemnit. Part. 11. Loc. Com. fol. m. 39. Nic. Hunn. Exerc. Eth. Disp. VIII. p. 165. Jac. Martin. lib. 11. Synops. Eth. cap. XIV. p. 349. Christian. Matthias Lib. III. syst. Eth. Exerc. VI. p. 239. qvi & p. 248. simulationem officiosam disertè adprobat: atque alii non pauci: etsi contrarium defendunt, ac simpliciter omnino mendaciū, officiosō etiam & jocosō inclusō, peccatum esse contendunt Hornejus l. III. Philos. Moral. cap. 10. n. 3. Burgersdicius id. Philos. Moral. c. 19. §. 18. p. 197. & cum aliis a seclis Wendelinns.

TH. 8. Nimirum ut mendacium aliquod aut simulatio peccatum sit, non facit præcisè formale istud, quod est discrepantia cordis & oris, seu actus externi, quæ quidem significationem falsi à significatione veri, hoc est, mendacium à veritate distinguit: cæterum malitiam ejus moralem non specificat: nisi accedat studium atque intentio nocendi, aut aliud quippiam, quod mendacium à statu indifferentiæ transferat ad vitium. Neque enim frustra octavō præcepto addita est restrictio, quâ falsum testimonium dicere **CONTRA PROXIMUM** vetamur.

TH. 9. Quod tamēn rursus non ita volumus intelligi, quasi solum adjuvandi propositum omnes statim simulationes justificet. Quemadmodum enim sola discrepantia externi & interni, ita & bona intentio sola, ambiguum adhuc relinquit de actione iudicium.

TH. 10. Satis de genere. Differentia desumitur 1. à formâ, quæ est significatio falsi. 2. ab objectō, verbis: ad *hominem* 3. à fine, utilitatis gratiâ.

TH. 11. Forma est, ut diximus significatio falsi, ubi tria sunt consideranda: 1. res significans. 2. Res significata. 3. Ipse significandi actus. Res significans habet se ut materia sive subiectum huius actionis.

TH. 12.



Th. 12. Hæc signa duplicem admittunt divisionem, 1. à *materiali*. 2. à *formali*. Signa materialiter considerata sunt vel 1. *verba*, atque huc pertinent ea, quæ in specie & strictè solent mendacia licita officiosa vocari, ut: cum simulatur fuga spargendò rumores de fugâ. Vel 2. *facta*, sub quibus etiam gestus comprehenduntur: ut: cum hostis simulat fugam convasandò vel etiam retrahendò exercitum. Exempla leguntur Josuæ 8, v. 15. Jud. 20, v. 32.

Th. 13. Signa verò formaliter spectata, sunt vel *immediatè* significantia, ut in superiori exemplò, cum ficti videlicet rumores sparguntur de fugâ, vel *mediatè* & per consequentiam, ut: cum Ulysses in agrò proscissò sal seminavit, ut insanire crederetur. Sic David coram Achis Gethæo Rege collabebatur, & impingebat in ostia portæ, defluebantq; salivæ ejus in barbam: consecutus hòc pactò, ut à Rege furiosus haberetur, & dimitteretur incolumis, 1. Samuel. cap. 21, vers. 13. 14. 15.

Th. 14. Notetur hìc obiter in ipsis quoq; verbis posse esse mediatam significationem falsi: ut si quis simulet furorem, non gestibus tantum, sed verbis etiam, non quidem immediatè significantibus, dicendo: *ego insanio*, hòc enim pactò simulatio ejus fortassè non habeat effectum, sed mediatè significantibus h. e. loquendo multa absurda & *ἀσύνλογα*, quæ quia loquuntur, per bonam consequentiam in ordinationem stultitiæ veniunt.

Th. 15. Præterea signa *formaliter* spectata significant falsum, vel *sine ambiguitate*, vel *cum ambiguitate*, h. e. ita, ut aliò sensu intellecta à significante personâ etiam id, quod verum est, significant. Quæ ambiguitas imprimis in verbis locum habet. Ubi notandum est, ambigua verba h. l. vocari, non simpliciter, quæ diversas habent, vel habere possunt significationes: Ita enim fortassè nullum verbum est ambiguum: sed quarum diversæ significationes ambæ à personâ significante apprehenduntur, ita, ut ipsa sensum eum qui secundum propriam conscientiam verus est, sibi servet, alterum qui falsus est, velit concipi à personâ cui loquitur. Ac talis actus simulationis speciali vocabulo *Æquivocatio* solet vocari, ad quam etiam *reservationes mentales* referendæ sunt. Sed de æquivocatione plura Th. 17. & seqq. dicemus. Sit exemplum: Medicus ægroto amarâ potionem exhibens dicat: *Cape gratam potionem*: intelligens quidem ipse, gratam

B

tam



tam eam esse ob salubritatem; volens autem ab ægroto intelligi, gratam eam esse ob saporem non insuavem.

TH. 16. *Res significata, est falsum.* Quod non eget expositione ulteriore. *Actus ipse significandi* in hoc consistit, ut aliquis (loquimur enim de personâ, non de re significante) sciens ac volens ponat signum falsi, cum intentione conformem signô conceptum in alterius animô gignendi. Quæ intentio uti maximè ad simulationem pertinet, ita cautissimè distingui debet ab intentione decipiendi. Deceptio enim ad dolos malos pertinet, neq; abest ab injuriâ. At conceptus falsi per simulationem licitam impressi adeò remoti sunt ab injuriâ, ut etiam media fiant justæ & honestæ utilitatis promovendæ.

TH. 17. Porro contingere potest, ut signum falsi, in aliô sensu habeat pariter significationem veri, uti fit in *æquivocationibus*, de quibus plura hic nos dicturos esse modò promissimus Th. 15. Quæri ergò potest, an in hoc casu, cum persona significans sibi reservat significationem veram, falsam autem datâ operâ vi ambiguitatis intendit insinuare alteri, talis æquivocatio ad veritatem, an ad simulationem referri debeat? Nobis non est dubium, quin ad simulationem. Non enim sufficit ad veracitatem ponere signum veritatis (aliàs etiam in stannô chalcographi posset esse veritas Ethica) sed addenda est intentio significandi veri, quæ ab æquivocatoribus longiùs abest, quàm à stannô chalcographi. Adeò enim non intendunt verum alteri significare, ut velint potius significare falsum. At in stannô, quippe in re mortuâ, neq; veri est neq; falsi significandi consilium.

TH. 18. Ut ergò in cæteris actibus moralibus, ita & hic imprimis æstimanda est intentio. Quæ si absit à proposito significandi falsi, etsi eveniat, ut (vel ob ambiguitatem vocis, à significanté aut ignoratam penitus, quod factum est in confusione linguarum Babelicâ, aut certè non observatam, vel etiam ob auditionis ipsius deceptionem) audiens ex illô signô falsum conceptum acquirat: tamen actio illa non simulationis est, sed veritatis. Contrà in æquivocatione, quam h. l. vocamus, contingere potest, ut audiens vel ob simplicitatem ac ruditatem, qualem in Thessalis notabat Simonides ap. Plutarch. lib. de audendis Poëtis, falsum conceptum è signô non eliciat, vel elicitò non assentiatur, si sit sagax, ut Alcibiades, de quo vide Corn. Nepotem cap. 5. Et tamen nihilominus simulator erit, qui talia signa sciens & volens ponit.

TH. 19



TH. 19. Jam, uti simulationem quandam licitam fecimus: ita hoc idem de æquivocationibus quibusdam, si cætera sint paria, volumus acceptum, Nequaquam autem famolas illas æquivocationes, quæ *Jesuiticæ* vocantur, hinc intelligimus, sed eas, quæ alium exemplum sup. Th. 15. posuimus de Medicò. Sed de formâ simulationis hæc sufficiant.

TH. 20. *Objectum* simulationis *hominem* posuimus. Eas enim simulationes, quæ erga *bestias* exercentur, ut alienas à nostrò proposito, capite superiori removimus. Multò his alieniores ex sunt, quæ Deo aut sanctis Angelis offeruntur, aut offerri possunt, aulò non irritò tantum, sed impiò prorsus. Quas etiamsi illicitas simulationes tractare decrevissemus, omitteremus tamen in Ethicâ disputatione, vel ideò, quoniam non civilis est, quæ nobis cum Deò & Angelis intercedit, societas.

TH. 21. Sequitur *finis*, qui est utilitas *publica* aut *privata*. *Privata* rursus est duplex, *propria*, ut: cum David suæ securitatis causâ fingebat furorem; *aliena*, ut cum ægrotanti persuademus, potionem medicam fore dulcem &c. Hæc de *πεγαματολογία*. Progredimur ad

### CAPIT III.

#### De *ἀλλοιογία*.

TH. 1. *Principium* dirigens simulationem licitam debet esse *prudencia*, ac talis quidem, quæ non est calliditas, nec reperitur nisi in Virò bonò.

TH. 2. Dictat autem Prudentia regulas honestatis, circa simulationem observandas: Regulæ autem illæ, quibus æstimari possit licentia simulandi ob circumstantiarum varietatem, plurimæ esse & vix certò numero includi possunt. In præsentiarum una atq; altera generalior suffecerit.

TH. 3. Prima sit illa: *Simulationibus licitis locus est extra Contractus*. In quibus ob naturam justì contractus, fraus omnis & dolus abesse debet. Unde etiam solet addi in literis contractuum, *Alles treulich / sonder arge List und Gefährde*. Non ergò probamus illas simulationes, quæ fiunt in contractibus dolosis, sive publici sint sive privati. Aggravatur hoc delictum, si contractus illi juramento in-



convenientē sanciantur. Accēdens enim juramentum simulationem alioqui licitam, reddere illicitam potest. Neq; probamus ullō modo vocem illam impiam Priscillianistarum:

*Jura, perjura, secretum pandere noli.*

TH. 4. Secunda Regula: *Simulatio licita non habet locum in negotiō religionis.* Talibus enim simulatoribus gravissimam pœnam interminatus est Salvator Matth. 10, v. 33: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo Ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.*

TH. 5. Regula tertia hæc esse potest: *Simulatio privatae utilitatis gratiâ suscepta ne impediatur utilitatem publicam: neq; sit conjuncta cum injuriâ alterius.* Publicum enim bonum privato est præferendum: & commodum nostrum sine ullius incommodo procurare debemus. Ideoq; simulatio Ulyssis, ne ad Trojanum iret bellum, meritō reprehenditur à Cicerone lib. 3. offic. p. 72: qui bove & asinâ junctis terram proscindere & fal serere cœpit, quò insanus haberetur, neq; bello unacum civibus cæteris admoveretur, sed otiosus Ithacæ cum parentibus, cum uxore, cum filiō vivere posset.

#### CAPUT IV.

##### De μερισμολογία.

TH. 1. Placēt nunc & divisionem simulationis licitæ instituerē. A formâ dividi potest in *apertam* & *tectam*. Vocamus autem *apertam*, quæ non propositum habet ludere signis ambiguis, sed falsitatem signis quàm potest clarissimis profiteretur. *Tecta* contrariō modo se habet, singulariq; nomine *Æquivocatio* dicitur, de quâ cap. præcedenti satis dictum est.

TH. 2. Aliam simulationis divisionem capere licet à materiâ seu subjctō, sic enim dicemus, quandam simulationem esse *Politicam*, quæ à Personis Politicis; quandam *Oeconomicam*, quæ ab œconomicis personis adhibetur. Unde & porrò facile perspicias, utramq; iterum pro varietate personarum sive politicarum, sive œconomicarum variam esse posse. Nam in Politicis dabitur simulatio *Principis, Imperatoris bellici, Judicis, Consilarii, Legati, Civis peregrini*, & ita porrò: in œconomicis simulatio *parentis, filii, conjugis, Domini, servi*. Labet unius atq; alterius modos declarare, aut proferre exempla.

TH. 3. Ad *Principem* quod attinet, licebit illi consiliis suis, quorum



quorum sæpè nulla, nisi in secretò vis est, causam alienam prætendere: ut, si pecuniam, quam apertè colligens necessario ac justo bello destinavit, disseminatis rumusculis fingat, in structuræ alicujus ædificationem insumendam.

TH. 4. Ad Imperatoris bellici simulationes primò pertinent stratagemata, quibus hostem in ipsò belligerendí actu, nullis induciis aut fide datâ interrupto, circumvenire licet. Quem enim occidere fas est, eidem insidias collocare non est nefas. Nec sola tamen stratagemata huc pertinent. Bonus enim Dux non hosti tantum, sed & militi suo simulare quid potest. Sic Agesilaus acceptò nunciò de clade suorum apud Cnidum navali, ne is nuncius militum ad pugnam Coronæensem proficiscentium animos perturbaret, eos, qui à mari venerant, pro clade victoriam suorum annunciare jusfit, ipseque coronatus gratulatoria sacra fecit, partesque hostiæ amicis dimisit, ut Plutarchus refert in ejus vitâ.

TH. 5. Judicis simulatoris illustre exemplum præbet Salomon, qui pro tribunali sedens secari puerum viventem jusfit, ut hanc simulatione exploraret, et duabus meretricibus utra esset germana ejus mater. Ita & Judici, ut reo confessionem exprimat, simulare licebit, complices jam indicium fecisse delicti.

TH. 6. Furorem David, ut in exiliò suò ab externis; Junius Brutus, ut à Rege Tarquinio tutus esset; Solon, ut civibus suis sine periculò vitæ propriæ persuaderet, Salaminem bello repetendam, simulaverunt. Sunt ergò hi exempla simulatorum, David peregrini, Brutus civis, Solon Consiliarii.

TH. 7. Inter economicas personas licitè poterit *berus* abiens absentiae diuturnæ falsam spem facere servis, ut ex improvisò superviens cognoscat, an strenui sint illi in opere etiam absente Domino: aut contra reversionis festinæ, ut eos expectatione Domini jam jam redituri contineat in officio.

TH. 8. *Servos* simulatores lectio Senecæ lib. 3. de benef. c. 23. 24. 25; Macrobbii lib. 1. Satur. c. 11. & Valerii Max. lib. 6. c. 8. nobis suppeditat, quorum quidem simulationes etiam cum insigni pietatis gloriâ conjunctæ fuerunt. Captò Grumentò servi duo dominam, quasi ad supplicia raptam hanc ipsâ fictione hostili sævitiae eripuerunt. Domitii servus herò venenum poscenti medicamentum soporife-



rum dedit & eum servavit. Panopionis servus, dominum sumptu  
ejus veste simulans, pro eò mortem excepit. Antius Restio evasit,  
cum servus ostensò rogò herum se occisum illi injecisse commen-  
tus esset.

TH. 9. Lepidum ac festivum Papyrii Taciti Prætextati men-  
daciū, uti Gellius vocat l. 1. c. 23. notum est omnibus. Is autem  
præbet exemplum *fili* simulatoris.

#### CAPUT V.

##### De ἐναυηολογία

TH. 1. Pugnat cum simulatione nostrâ illicita simulatio. In  
quò censu locamus cum omnes *Machiavellicas* fallendi rationes, tum  
quicquid regnat passim inter homines *simulationum fraudulentarum*  
*ac malitiosarum*, utpote quæ nequaquam salutis publicæ præferunt pri-  
vatam, aut huic sine alienâ student injuriâ, sed versò ordine è com-  
modò privatò cætera metiuntur omnia, nullò sæpè pietatis, nullò fi-  
dei & candoris habito respectu.

TH. 2. Neq; segregandæ sunt ab hac classe *equivocationes illæ*  
*Jesuiticæ*, quales & cap. II. improbavimus: imò quales diu ante Je-  
suitarum nomen auditum in duobus illis captivis apud Gellium lib.  
7. c. 18. improbavit Roma, qui jurati se redituros in castra hostium,  
commentitio consilio regresi eòdem die, tanquam si ob aliquam  
fortuitam causam issent, religione jurisjurandi solutos se putaverunt.  
Simili calliditate, sed æquè detestandâ Hatto Moguntinus Archie-  
piscopus (non ille *μυόβρωτος*, sed alius quidam hujus antecessor)  
adversus Albertum Comitem Bambergensem usus est, de quò cum  
alii commemorant, tum Fabricius Epitome Siffredi post annum 888.

TH. 3. Breviter, quæcunque est illicita simulatio regulas sci-  
licet licitæ simulationis violans, eam cum simulatione nostrâ pugna-  
re adferimus. Pugna autem videtur in excessu. Nam in defectu  
ipsi eliminationes veri contra datam legitimam fidem, aut aliàs per  
iniquitatem susceptas opponendas dixerimus.

#### CAPUT VI.

##### De συγγενεαλογία

TH. 1. Cognatæ simulationi sunt actiones *veracitatis*. Nam  
& ipsæ



& ipsæ non minus occupatæ sunt laudabili moralitatē circa facien-  
das conceptuum nostrorum significaciones. Differunt autem obje-  
ctō: veritas enim vera, simulatio falsa profitetur.

TH. 2. Magis tamen ad finis simulationi est *taciturnitas*, etiam  
illa, quæ planè nihil significat; Hæc enim indifferens est tam ad ve-  
rum, quàm falsum significandum, quoniam neutrum edisserit. Simi-  
lior autem est simulanti qui verum non dicit, quàm qui dicit: Et qui  
falsum tacet, quàm qui veritatis professione falsum simul coarguit.  
Sanè si media est inter veritatem & simulationem hæc taciturnitas,  
propioribus intervallis extrema à mediō, quàm ab se abesse consen-  
taneum est.

TH. 3. Sed taciturnitatis & aliud genus est; *occultationem*.  
*veri* dicunt: quæ partem veri loquitur, partem tacet, ut cum Atha-  
nasia persequentibus fatebatur, modò præternavigasse Athanasium,  
tacens, eundem quoque relegisse cursum, & ipsum esse, qui cum loque-  
rentur. Si quæ sunt tales occultationes, ea tantam habent cum si-  
mulatione licitâ consanguinitatem, ut fortassè non absurdus sit, qui  
ejusdem esse farinae utramque dicat. Probè intelligebat Athanasi-  
us, quid percunctatione suâ vellent persecutores: Et hoc prævidebat,  
quem iidem sensum ex suâ responsione elicaturi essent. Neque late-  
bat eum sensus istius falsitas, & tamen ita respondebat, ut, si verba  
inspicias, nihil falsi dictum sit, si sensum, quem inde etiam conscio  
Athanasio eruebant isti, non abfuerit dolus, sed in hac causâ licitus.  
Hæc taciturnitas quantum, vel ab æquivocatione vel à reservatione  
mentali absit, patiemur ab aliis judicari. Sanè Papyrius Prætexta-  
tus ab istō mendaciō suō non *Simulatoris*, sed *Taciti* nomen adeptus  
est, ut vel hinc intelligamus, magnam esse simulationi cum tacitur-  
nitate cognationem. Verum tacet, quicumque falsum profitetur. At  
eādē significatione veri pariter & falsi indicium facere, τῶν ἀδυνά-  
των meritō habebitur.

## AUCTARIUM

supplendæ Chartæ additum:

1. Augustini auctoritatem non temnendam existimo, qui ad  
Hieronymum epistolâ in sacris tractandas literis ne officiosa quidem  
menda-



*mendacia admittenda esse monet.* Vadian. ad lib. III. Pomp.  
Mel. fol. 209.

2. Pessimo ergò & non ferendo exemplo Legendarum scriptores Historiam sanctorum mendaciis contaminaverunt.

3. Horum non postremus Jacobus de Voragine nequaquam is fuit Archiepiscopus Genuensis, cui Bonifacius VIII. cinerem in oculos coniecit cum verbis: *Memento, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem revertéris:* etsi ita existimarunt Blondus & Philippus Bergomas, de quibus *Voss. p. 492. de Hist. Latin. ed. noviss.*

4. Commentum est, quod de Hattonem (cujus cap. V. mentionem injecimus) proditum est (vid. *Merssaum Cratopolium Annal. Archiep. Mogunt. p. 192. & Dresser. IV. Isagog. p. 60.*) eum & corpore & animam à Dæmonibus in Æt nam abreptum esse cum tali clamore:

*Sic peccat a lues, atq; ruendo rues.*

Velenim ex hoc versiculo figmentum pelluceat, nisi credimus, dæmones in versibus pangendis se ad palatum illius seculi attemperasse. Nobis non dubium est, conficta hæc à quopiam fuisse, qui indicare voluerit, Hattonem ab obitu eò delatum esse, quò divitem Epulonem sacra narrat Historia. Æt nam quidem portam inferi *Pet. Blesensis* appellat *Epist. 46.* Et similia de aliis in

Heclam aut ignes Liparæos præcipitatis

conficta alibi occurrunt.

F I N I S.




00 A 6455

ULB Halle 3  
002 929 236  


W17











17.

Fortunante Vera Via Salutis Redemptore Meo!  
DISPUTATIO ETHICA  
*De*  
**SIMULATIONE,**

*Quam*  
Inclutæ Facultatis Philosophicæ consensu  
*Sub*  
Moderamine,

*VIRI prae modum Eximii, Clarissimi, Excellentissimiq;*  
**Dn. M. JACOBI THOMASII, P. L.**  
Cæs. nec non Practicæ Philosophiæ P. P. Celeberrimi, Col-  
leg. Min. Princip. Collegiati, Promotoris, Præceptoris atq;  
Fautoris sui ætatem suspicien-  
di &c.

*Publicæ disquisitioni exponit*  
**FRIDERICUS-VVILHELMUS SULZBER-**  
**GERUS** Bonar. Art. & Philosophiæ Bac-  
calaureus.

Ad d. 18. Novembris H. L. Q. S.

---

**LIPSIÆ,**  
E CHALCOGRAPHEO RITZSCHIANO,  
ANNO M. DC. LIV.

*M. J. Jacobs*

